

Bibliothèque numérique

medic@

**Sabatier, Raphael Bienvenu - candidat
/ de la Faye, Georges - président. - [De
partu non naturali et contra naturam]**

1752.

***Paris : Typis Delaguetta Regii
Chirurgorum Collegii
Typographi
Cote : ms 2342, n°15***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)


Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0015](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0015)



D. O. M.
 POSITIONES ANATOMICÆ
 ET
 CHIRURGICÆ.
 EX ANATOMIA.



OBSTETRICANS, cujus est partum naturalem observare, non naturalem adjuvare, contra naturam instituere, is est qui morbos mulierum ad prægnationem spectantes, eorum causas, signa, variaque quibus curantur media, percallet. Illum ut ab experientiâ solâ habilem nullus salutabit, quin ipsi injuriosus videatur. Cui Physiologiæ, Hygieiæ, Pathologiæ, Therapeutici, Anatomiesque præsertim non affulgent principia, ille obstetricans nomine, non re habeatur. Quædam igitur de



2

partu non naturali & contra naturam dicturi, organorum muliebrium generationi famulantium structuram paucis exponemus.

Hæc ratione diversi sitūs in externa & interna dividuntur; externa nimis innotescunt quam ut iis immoremur: non item de internis quæ inter vagina, uterus, tubæ fallopiana & ovaria annumerantur.

VAGINA Canalis est membranaceus, à pudendo ad uterum usque protensus, in hypogastricâ pelvi, vesicam inter & rectum quibus cohæret, positus. Non una & eadem vaginæ in omnibus species: his longa, ampla, intus levigata; illis brevior, strictior, rugis instructa, circulo membranaceo in inferiore suâ parte decorata &c. ab ætate variâ, majore vel minore totius corporis habitu, rariore vel frequentiore veneris usu repetenda varietas.

UTERUS viscus est molle, pulposum, facile extensile, elasticum, intus cavum, superiorique vaginæ parti continuum. Ut vagina sic pro variis circumstantiis, eundem habitum uterus non servat. Nunc enim crassior est, sanguine turgidior; nunc è contra minor &c. excepto prægnationis tempore, trianguli aut piri inversi figuram non male æmulatur. Eadem quoque est figura internæ uteri cavitatis, quæ inferius cum vaginâ, superius ab uno quoque latere cum tubis fallopianis communicat.

QUATUOR ligamentorum ope uterus insitu suo retinetur; illa rotunda ex hujus superiori & laterali parte oriunda, per annulos musculorum abdominalium traducta, in pudendi labra superioremque femorum partem desinunt; alia lata dicta, membranacea, peritonæi propagines, quem amplectuntur uterum, pelvis hypogastricæ parietibus alligant.

IN utriusque ligamenti lati crassitie, antè & superius, tuba fallopiana, uteri fundo à latere continua, hic loci minima, ex alterâ parte amplior, fimbriis inæqualibus terminata; inferius vero & posterius includitur ovarium vesiculis refertum, uteroque ligamento terete annexum.

MAXIMO vasorum numero partes illæ irrigantur; sanguinea ab hypogastricis & spermaticis, nervea vero ab utroque sympatico majore & nervis ab osse sacro antè oriundis mutantur.

EX CHIRURGIA.

PARTUS est infantis ex utero materno exitus; qui triplex; scilicet, naturalis, non naturalis & contra naturam. Partus naturalis ille est in quo infans & secundinæ solius naturæ Constatu procedunt. Partus non naturalis ille est in quo quædam cognitæ tamen arcenda mediis, obstant quominus natura suum opus profequatur; partus-que tandem contra naturam ille est in quo obstetricans, novum iter infanti parare cogitur.

PLURIMÆ plus-minus-ve difficile removendæ partus non naturalis causæ, eæ-que vel à matre, vel ab infante sunt repetendæ: ab infante; placenta primùm occurrens, funiculus umbilicalis justo longior, infans major, hydropicus, mortuus, male situs: à matre; convulsiones, gravis hemorrhagia, uteri cervix aut vagina strictiores, uterus male situs, è naturali sede delapsus, pudendique tandem labia aut interna vaginæ superficies quâdam cicatrice obducta.

PLACENTAM primùm occurrere ex eo cognoscitur, quod, præter urgentem hemorrhagiam, corpus molle, spongiosum, inæquale tactu deprehendatur. Si os uteri jam satis dilatatum est, placenta, modo obstat, vel membranæ ulterius, unguibus discerpantur, in uterum manus immitatur, apprehensusque pedibus infans foras extrahatur. Si vero parcius est orificii dilatatio digitis paulatim explicetur, partus-que eodem modo absolvetur.

DUPLEX ex umbilicali processu justo longiore nasci potest incommodum: vel enim infantis membris circumvolvitur, vel primus foras aut aliis partibus immixtus emergit. Gravis uterque casus: Si primùm occurrat, digitis in uterum intrusis funiculi umbilicalis involutionses si fieri potest solvantur, quando-

4

que etiam forficibus abscindantur ; si vero secundum ; eadem fere semper ac placentæ primùm occurrentis methodus instituenda est.

INFANTEM rectè situm dicunt qui facie pronâ os uterî vertice urget : alii qui cumque situs non naturales sunt ; unde sexenti situs non naturales , qui integris vel discissis velamentis possunt explorari. Cum integra sunt velamenta doloris expectanda est remissio : tunc enim recedentibus aquis , diversæ infantis partes non secus ac iis discissis tactu facile dignoscuntur. Quicumque autem sit infantis situs , modo à naturali recedat , foetius statim pedibus est extrahendus.

DIFFICILIS admodum partus si infantis & matris partes inter se dissentiant , qui ab uteri cervice aut vaginâ constrictis , vel ab infante majore aut hydropico procedit. Ex dolorem puerperii diuturnitate & tactu diagnosi. Venæ sectionibus , vaporum balneo , pudendorum cum oleosis inunctione ea non raro solvuntur obstacula. His incassum adhibitis & capite non admodum prodeunte , ast in vaginâ infixo , utriusque manûs digitus index in vaginam immittendus est , ut iis ultra infantis axillas introductis , corpus possit educi.

HYDROPS , funiculus umbilicalis. justo longior , frequentia sanguinis profluvia , uterus strictior , animi pathemata , morbi que , tales convulsio , vomitus idiopathicus , crebra tussis , diarrhoea & immodicæ exercitationes , lapsus , ictus aliaque hujusmodi infantem in utero possunt enecare. Infantis mortui plurima sunt signa in incerta & certa non immeritò distinguenda : incerta deducuntur ex eo quod quædam è causis supra enumeratis præcesserint , quod infantis sui motum à quodam tempore mater nonprehenderit , quod venter mammaeque flaccidæ fiant , uterus sensum ponderis cieat , variasque in partes pro vario mulieris situ prolabatur ; quod adsint animi deliquia , lactis stillicidia , subsultus hysterici , materiae flavæ , ichorosæ , nigricantis per inferiora effluxus , quodque tandem foetidus ex iis odor exurgat. Funiculus vero umbilicalis flaccidior , arteriæ prope infantis abdomen

5

non subsalientes, epidermidisque à subjectâ cute separatio, exanimem eum esse certissime suadent.

EMORTUUS infans recte situs est vel non: foetum exanimem recte compositum vulgò non tamen semper natura expellit. Vel enim post aliquod tempus in oris uterini angustias delapsus inibi hæret & detinetur, vel partus nullatenus proficit. Primo in casu methodo à laudando *Lamotte* propositâ infans est (a), extrahendus; in secundo verò caput repellendum est, infansque ut malè compositus est habendus. Soepius tamen accidit ut dum sic pedibus educitur, avulsam caput in utero remaneat; tunc vel digito in os inserto, vel vossellis palmini, vel ferramento *Tiretête* dicto à M. *Leyret* (b) invento, vel tandem uncinis sine morâ auferendum est.

HEMORRAGIA, placentæ ab utero avulsionem funiculi-que umbilicalis (c) rupturam; convulsiones verò nervorum, præsertimque utriusque sympathici majoris irritationem subsequuntur. Convulsionum & Hemorrhagiæ diagnosi patet: in morâ periculum; partus, methodo dum deplacentâ primùm occurrente, à nobis propositâ, absolvatur.

SITUS uteri depravatus triplex: uterus nempe nimium pendulus (d), uterus spinæ dorsi nimis appressus, uterusque in alterutrum latus nimis obliquatus. Par in omnibus hiis circumstantiis discrimen. Uterum sic compositum esse ob mutatam abdominis figuram insolitamque cervicis uteri posituram cognoscas: idoneus puerperæ concilietur situs, & uno aut altero alterutrius manûs digito in vaginam ultra uteri cervicem intruso, alterâque manu extra actionum suam in uterum exerens.

(a) Pag. 574.

(b) Accouchement Laborieux, pag. 12 & suivantes.

(c) *Lamotte* page 362.

(d) *Henric. a. deventer*, de art. obst. pag. 201 & sequent.

te ad situm naturalem redigatur, partusque deinde ut in Hemorrhagiâ consummetur.

MATRIX licet imprægnata suâ è sede aliquoties prolabitur legitimaque tunc sit uteri præcipitatio. Statim si fieri potest reponatur, sin minus ibi usque ad solitum prægnationis terminum sustineatur; qui cum acciderit, auxiliatricem deficienti naturæ, obstetricans præstet manum, digitis uteri cervicem paulatim (e) explicet, infantem & secundinas eliminat, utrumque in suam sedem post partum reponat.

LEVIS pudendorum vaginæque cohæsiō exulcerationem, inflammationem validam, aut vitium conformationis pro causis habet. Hæc tactu & visu cognoscitur. Obstetricans cohærentes scalpello partes dividat, sin minus, vel mulier non enitetur, vel subita fiet ab impingente foetu dilaceratio, quam inflammatio, febris, dolor, suppuratio, quandoque etiam Gangræna consequi possunt.

QUOT infantis integri exitum absolutè præpediunt, totidem causæ Chirurgum, ad partum contrà naturam instituendum impellunt; eæ vero septem annumerantur scilicet puerperæ lethum, (f), pessima ossium coxendicis conformatio, profunda simul & solida vaginæ parietum cohæsiō; foetus in abdomen primis temporibus elapsus, ibique usque ad tempus solitum accretus (g);

(e) La pratique des accouchemens, par Portal page 68.

(f) Riolanus Anthropol. lib. VI. cap. VIII. Heisterius Instit. Chirurg. pag. 759. Clariss. Winslowius in Quæst. Med. Chirurg. an adservandam præ foetu matrem obstetricium hamatile minus anceps acæque infons, quam ad servandam cum foetu matrem sectio cæsarea? Lut. an. 1744. proposita.

(g) Hist. foetus müssipont. Bayleus Hist. anat. gravid. 25 ann. ubi foetus omento annexus erat. Imo pater meus Chirurg. Paris. dum mulieris novem menses gravida viginti abhinc annis cadaver secaret, in illius abdomine foetum invenit cujus placenta, interiori ilæorum margini, ultimæ vertebræ lumbari & ossi sacro adhærebat.

7

infans intubâ fallopianâ (*h*), vel in ovario adauctus (*i*), quidam-
que tandem uteri imprægnati ramices (*k*).

MALA ossium coxendicis conformatio, profundaue simul
& solida vaginæ parietum cohæsiō, tactu dijudicantur.

Fœtus vel in abdomen primo instanti elapsi, ibique ac-
creti, vel in ovario aut tubâ fallopianâ adaucti hæc dantur signa.
Abdomen in amplam molem insurgit & irregularem formam
exhibet; catamenia eadem fere sunt, saltem quoad periodos; nul-
la fere graviditatis apparent symptomata; perpetuus doloris
sensus cuidam abdominis parti inesse deprehenditur; infantis par-
tes earumque diverſi motus, in turgidâ abdominis parte apposi-
tâ manu facile distinguntur. Nec versus posteriora invertitur, nec
pro vario graviditatis tempore complanatur uteri cervix. Nulla
matricis distentio percipitur, ultimisque tandem temporibus
acutiores ingruunt dolores, quos valida febris, tentio in abdomi-
ne, aliaque pro variis circumstantiis symptomata sæpius conco-
mitantur.

IMPRÆGNATUM tandem uterum in ramice quolibet inclu-
di ex eo concluditur, quod primo uteri cervix deprehendi non
potest, vel si deprehendatur, alterâ super Herniam appositâ
manu & alterno sed lenimotu partes in rupturâ contentas com-
primente iidem motus, in illo percipiuntur: Quodque deinde ra-
mex è minori sensim in majus volumen exurgat, infantisque par-
tes quarto vel circiter mense tactu visuque ut ita dicam distin-
guantur.

(*h*) Riolanus Anthrop. lib. II. cap. XXXV. Littrius & du Verneyus
Act. Acad. Reg. Scient. an. 1702.

(*i*) Vieussens Dissert. de structurâ & usu uteri. Littrius Act. Acad.
Reg. Scient. an. 1701.

(*k*) Vid. Sennert. Instit. Med. Lib. IV. Part. I. Sect. II. cap. XVII.
Observationemque M. Duchesnay-des-Prez prim. reg. hisp. Chir. à M.
Simon nuper in concentu publico Acad. Reg. Chirurg. promulga-
tam.

QUÆNAM in illis casibus statuenda prognosis? quænam adhibenda sit methodus satis perspicuum est. Hinc certum infanti simul & matri imminet exitium, inde verò incerta proponitur medela; cur hæremus? anxium quam nullum remedium experiri satius est; novum ergo iter infanti cæsareâ sectione parandum esse confidenter asserimus.

Has positiones, DEO JUVANTE, & præside M. GEORGIO DE LA FAYE, Artium & Chirurgiæ Magistro, Reg. Chir. Acad. Prodirectore, Demonstratore Regio. Scholæ Præposito designato, tueri conabitur, RAPHAEL BENEVENTUS SABATIER, Parisinus, in almâ Universitate Parisiensi Artium Magister.

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

*Die Martis 30 Maii à sesqui-secundâ post meridiem
ad septimam. Anno Domini 1752.*

P R O A C T U P U B L I C O,

E T

M A G I S T E R I I L A U R E A.

Typis DELAGUETTE Regii Chirurg. Collegii
Typographi 1752.

10
13 00
3 0

5
2 10
1 13 00
10 2